



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xlvii [i.e. v]. Sed entitas positiva substantialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

naturæ alienæ subsistenti; continuò enim nec natura, quæ unitur, nec natura, cui unitur, erit subsistens, cum amittat negationem actualis unionis cum alio; & sic subsistentia jam dicit præterea tertiam negationem, nimirum unionis absolutè possibilis cum alio.

V. Sed est subsistentia aliquid positivum à natura distinctum, & radix, ex qua immediate memoratæ sæpiùs negationes binæ, & quidem posterior, nempe unibilitatis, quæ est cum inclinatione, necessariò, resultant, sicut ex unitate resultat negatio identitatis cum alio, ipsa verò unitas non est formaliter hæc negatio; debet enim esse ratio, cur natura, non exigat, aut possit naturaliter uniri alteri, hæc alia non est, quàm quòd natura antecedenter ad has negationes completa sit ultimo complemento positivo, quod ideo ex se emanat, veluti ejus causa materialis simul & efficiens, ut propriæ indigentia succurrat, à quà emanatione si impediatur, ex indigentia inclinatur ad unionem cum alio. Sic deum bene intelligitur, quomodò Verbum assumpserit naturam humanam, ejus subsistentiâ relictâ inassumptâ, quam etiam im-

plica-

plicabat assumi, aut reddi subsistentem, cum sit terminus ultimus in ratione subsistendi (ex quo tamen non sequitur, subsistentiã creatã & increatã esse sibi contrarias, sicut non sequitur, duas ubicationes esse sibi contrarias, ex eo, quòd una alteri nõ possit uniri, & reddere illam ubicatam.) Hoc non obstante bene dicitur Christus, assumpsisse rem omnem plantatam in natura, intellige, pertinentem præisè ad rationem & constitutionem naturæ: esse nobis similem in omnibus, & intellige, præisè ad naturam ut condistinctam à subsistentia spectantibus; loquuntur enim Patres in sensu accommodo, sicut etiam locuti sunt in Concilio Tridentino, definientes, manere omnia accidentia panis in Eucharistia, nimirum iis exceptis, quæ remanere implicabat, qualia erant ubicationes panis. Negant verò Patres humanitatem habere propriam subsistentiam, quia est unita Verbo; non quòd hæc unio formaliter sit non esse subsistentiæ propriæ, sed quòd ex hac unione naturaliter sequatur negatio subsistentiæ propriæ, impedit siquidem unio hypost. ne natura emanet subsistentiam suam, per quod nihil destruit

in humanitate, nequè infert ei injuriam, cum subsistentiam creatam subsistentiâ infinite perfectiore compenset; poterat de cætero cum hac unione subsistere simul subsistentia propria; de quo infra. Ex eo autem, quòd persona definiatur à Boëtio: *Rationalis natura individua sive incommunicabilis substantia*; & individua substantia seu individuum sit indivisum in se & divisum à quolibet alio, malè inferitur, superaddere naturæ solam separationem ab alio, seu formalem negationem unionis vel identitatis cum alio; aliter enim hanc separationem seu divisionem ab alio explicamus, ubi de unitate agimus, quæ vide. Nequè ex eo, quòd totalitas integralis v. g. aquæ permittatur consistere in negatione ulterioris aquæ, bene inferitur etiam subsistentiam in ea partialiter consistere; hæc enim est totalitas essentialis.

VI. Non est tamen subsistentia creata quid absolutum, sed modale; est enim veluti forma, quæ per se ipsam ita immediate afficit subjectum, ut impossibile sit illam existere, & non afficere actu hoc
sub-